



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 395. Usque Ad Annum 428

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117794

§. 43. Pelagius Papæ scribit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66042](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66042)

Patrocli, qui loco Herois Sedem Arela-
tensem tenebat, occupaverant. Sæculum V.
A.C. 417.

Zosimus Papa ad Aurelium, aliosque
Africae Episcopos, quæ in hoc judicio fe-
cisset, perscripsit, atque Acta transmisit.
Queritur ipsos litteris Herois, & Lazari
leviter fidem adhibuisse. *Invenimus, in-*
quit: ordinationes eorum fuisse irregula-
res; nec ipsorum accusatio scripta reci-
pienda erat contra absentem, qui, modo
præsens, fidem suam exponit, & accusato-
rem provocat. Et inferius: sæpe, dum fi-
dei suæ sinceritatem affirmantibus credere
nolumus, in errorem quadam necessitate
præcipitamus. Hæc epistola data est, Ho-
norio, & Constantio Consulibus, id est,
anno 417.

§. XLIII.

Pelagius Papæ scribit.

Postquam Zosimus Papa hanc epistolam
scripsisset, delata est ei epistola Pray-
lis, Episcopi Jerosolymitani, qui Joanni
successerat, & sollicite hortabatur, ut
causam Pelagii in primis curis haberet.
Huic juncta erat ipsius Pelagii epistola,
cui fidei formula addita; utraque ad In-
nocentium Papam directa, cujus obitum
nesciebat. In sua epistola dicebat Pela-
gius; velle inimicos suos in duobus pun-
ctis famam suam denigrare, in uno quasi
parvulis Baptismum denegaret, & Reg-

Y y 4 num

Sæculum V. num Cœlorum absque JESU Christi Re-

A.C. 417.

demptione promitteret; in altero, quasi tantam vim libero arbitrio tribueret, ut auxilium Gratia recusaret. Errorem primum rejiciebat, tanquam manifeste contrarium Evangelio, dicebatque: *quis eousque impius sit, ut infanti communem Generis humani Redemptionem subtrahat, atque impediatur, ne ad vitam certam renascatur, qui ad incertum natus est.* His ultimis verbis, si forte ab adversariis premeretur, evadebat, nam hac super materia interrogatus, respondebat: *scio, quæ*

de pecc. orig. non perveniant parvuli, sine Baptismo cap. 31. de mortui, sed quo perveniant, nescio. In

Grat. c. 31.

Materia de Gratia dicebat: *datum est vobis liberum arbitrium, quo peccemus, & non peccemus, & in omnibus bonis operibus auxilio Divino adjuvatur. Et iterum: liberum arbitrium omnibus universim inesse dicimus, Christianis, Judæis, & Gentilibus. Id omnes a natura habent, at in solis Christianis per Gratiam adjuvatur. In aliis istud Creationis Bonum nudum est, & inerme. Judicabuntur, & condemnabuntur, quia, cum liberum arbitrium habeant, per quod ad fidem pervenire, & Gratiam Dei mereri possent, libertate sua abutuntur; Christiani mercedem accipient, quia, dum libero arbitrio bene utuntur, Gratiam Domini merentur, & mandata ejus observant.*

Fidei

Fidei Confessio Pelagii, quam hodie-Sæculum V.
que habemus, illi, quam Celestius dede- A. C. 417.
rat, similis est. Fusissime explicat omnes Libell. Pe-
Fidei articulos, de quibus non erat quæ- lag. tom. 2.
stio, incipiens a Mysterio Trinitatis, us- conc. p. 1565.
que ad Carnis Resurrectionem. De Bap-
tismo agebat: *Unicum credimus Baptis-*
mus, & affirmamus, parvulis iisdem ver-
bis, quibus adultis, administrari debere.
De Gratia dicit: *confitemur dari liberum*
arbitrium; simul vero dicimus, nos sem-
per auxilio Dei indigere, illosque falli
aqualiter, tam qui dicunt cum Manichæis,
hominem peccatum effugere non posse, quam
qui cum Joviniano, hominem peccare non
posse. Epistolæ epilogus erat in hunc
modum: *Hæc est fides, Beate Papa! quam*
ab Ecclesia Catholica didicimus, quam sem-
per tenuimus, & adhuc tenemus. Si quid
in ea est, quod non satis docte, vel caute ex-
plicatum, cupimus, ut corrigas, Tu, qui Pe-
tri fidem tenes, & Sedem! Nihil hac fidei
confessione magis Catholicum videbatur,
& nihilominus Pelagii erroribus portam
relinquebat apertam.

§. XLIV.

Pelagius Zosimum fallit.

His litteris Romæ publice recitatis, om- *Zosim. ep. 4.*
nium oculis, & ipsius Papæ quasi ca-
ligo offusa; videbant Pelagium Jerosoly-
mæ, eadem quæ Celestium Romæ loqui.

Y y 5

Omnes